

(3) *Hic error aliquis irrepfit. Puto ab auctore scriptum ut prioratum, de qua re vide Ghilin. ad ann. 1478.*

MCCCCLXII. Die tertio mensis septembris Galeatius Trotus Dominus (1) Rocchæ Vallis-Urborum vir strenuus, ac multis dignitatibus, & muneribus egregie perfunctis, Franciscoque Duci Sfortiæ gratus moritur.

(1) *Dominicus. MS.*

MCCCCLXIII. De mense septembris pars illa Pontis Tanari, quæ maximis inundationibus conciderat, reficitur.

MCCCCLXIV. Cum castrum Gamalerii, quod & Gamalerium in diplomate nuncupatur, Simonini Ghilini foret viri admodum illustris, & egregii, quod in beneficium a Philippo Maria Mediolani Duce obtinuerat, moxque Johanni, & Juliano attributum fuerat, parvi hoc facientes, gentili Simonetta Francisci Sfortiæ Ducis Aulico hoc anno distraxerunt, & alienaverunt.

MCCCCLXVI. Die vigesimo mensis maii Blanca Maria Vicecomes Mediolani Ducissa, & Galeatius Maria Sfortia ejus filius immunitatem concesserunt civitati Alexandriae ob egregiam operam, fidelemque in rebus adversis navatam a taxibus equorum, cariaggi, & similibus. Eodem anno die 18. septembris Reverendissimus Facinus Stephanus Ghilinus Bobii Episcopatum gerebat. Eodem anno die 30. mensis augusti ob ingentem aeris indigentiam, & attentis maximis necessitatibus, bellicque calamitatibus a Blanca Maria Vicecomite, uxore quondam Francisci Sfortiæ, & a Galeatio Maria Sfortia ejus filio Mediolani Ducibus, mandatum cum plena, & libera auctoritate fit in Andreottum de Maino, Angelum Simonetam, Thomam de Tibaldis de Bononia Ducales Consiliarios, nec non & in Johannem de Meltio ex Ministris Ducalium reddituum ordinariorum, & in Pigellum de Portunariis de Florentia, omnes Generales Reformatores reddituum ordinariorum, & extraordinariorum totius Mediolanensis domini alienandi, & in feudum concedendi quæcumque oppida, castra, & loca ejus ditionis, exceptis civitatibus, pro satisfactione aeris alieni, & pro solvendis stipendiis militum Marchionis Montisferrati, Marchionis Mantuæ, Comitum Urbini, Roberti Sanseverini, Bosii Sfortiæ, Conradi de Fogliano, Tristani Sfortiæ, Comitum Gasparis de Vico-Mercato, & aliorum, qui numero decem millium equitum, & duorum millium peditum, & ultra excedebant, nec non, & pro mercede Præfectorum, & custodum castrorum, oppidorum, portarum, & arcium Mediolanensis domini.

MCCCCLXVII. Die sexto januarii Blanca Vicecomes, & Galeatius Maria Sfortia Mediolani Duces, auctoritatem, facultatem, & licentiam concesserunt, & in mandatis dederunt memoratis mandataris alienandi, investiendi, infeudandi, ac in feudum honorificum, nobile, gentile, antiquum, & paternum per ensis evaginati traditionem, & investiendi Illustris. D. Johannem de Tolentino militem, & Ducalem Consiliarum, ejusque affinem, nec non & Illustrissimum D. Nico-

laum de Tolentino militem ipsius filium pro se se, suisque filiis, & descendantibus masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina tantum natis, & nascituris de oppidis Quadringenti, & Solerii, cum omnibus eorum pertinentiis, juribus, datis, & omni mero, & mixto imperio, gladii potestate, & omnimoda jurisdictione, & ad præfigendum omne pretium pro dicta oppidorum alienatione, quod eisdem placuerit, & prout in ipso diplomate dato Mediolani die superscripto. Præfatus vero Illustrissimus D. Johannes de Tolentino die nono dicti mensis mandatum facit in Illustrissimum D. Nicolaum ejus filium ad recipiendam investituram alienationis feudorum, datiorum, & jurium oppidorum Quadringenti, & Solerii, a prædictis Mediolani Ducibus, vel ab eorum agentibus, seu officialibus, & mandataris, & ad constituendum pretia; prout ipsi videbitur, & ad ea solvendum, & prout latius in eo continetur. Eodem die prædicti mensis januarii supra memorati Ducales mandataris alienationem faciunt, & in feudum honorificum, nobile, gentile, & antiquum, & paternum tradunt, & investiunt Illustrissimum D. Nicolaum de Tolentino coram ipsis flexis genibus constitutum suo, & nomine Illustrissimi D. Joannis ejus patris de oppidis Quadringenti, & Solerii cum omnibus eorum pertinentiis, juribus, datis, & cum omni mero, & mixto imperio, gladiique potestate, & omnimoda jurisdictione pro se se, suisque filiis, & descendantibus masculis legitimis, & de legitimo matrimonio, lineaque masculina tantum procreatis, & procreandis, ipsum per ensis evaginati in ejus manibus traditionem investiendo. Alienataque fuere prædicta oppida pretio librarum viginti millium septem centum tredecim, solidorum decem, denariorum decem monetæ Mediolani, Ambrosio Arzono Ducali Thesaurario exbursatarum, prout in investituræ instrumento rogato per Jacobum de Perego notarium Mediolanensem. Eodem anno quinto nonis maii Paulus II. Summus Pontifex Archipresbytero s. Mariæ de Bergolio commisit ad petitionem Ecclesiæ Cathedralis Alexandriae, ut præbenda s. Jacobi de Spandonariis Monachorum s. Benedicti Mensæ Capitulari pro distributionibus quotidianis divinis officiis interessentibus perpetuo uniretur, quandoquidem illi Summo Pontifici insinuerant Præbendas Beneficiorum adeo tenues esse, & parvas, ut vix ex eis sustentare se possent. Vocato tamen ad id Abbate, & Conventu Monasterii s. Gaudentii apud s. Stephanum vallis Belbi, a quo ipse Prioratus dependebat (1).

(1) *Apud Labbeum Collect. Concil. Tom. XX. col. 151. Epist. Gregorii VII. lib. 2. num. 32. extat Epistola ad Rainerium illustrem virum. qua decernit irrita, qua ab Henrico Abbate s. Gaudentii gesta sunt, de iis vero quæ ipse Rainerius cum eo contraxit, statuit, examen instituendum a nuncio, quem ipse misisset. Hac ideo addere visum est, quia de Monasterio apud s. Stephanum ab August. ab Ecclesia in sua Abbatum Pedem. Historia prætermisso agere Pontificem puto. Nam & præcedens, & subsequens Epistola ad has partes directæ sunt, altera ad*